

saeculi undevicesimo, Archiepiscopalis Sedis nomen tribuit ac dignitatem ; cui congruens accessit iurisdicio post annos quinque et viginti, quum Grégorius XVI ecclesiasticam provinciam Quebecensem constituit.—Quin etiam Nos amplius aliquid praestare curavimus ; augescere enim fidelium numero e re catholica fore censuimus, si ea provincia diduceretur in duas ; adeoque non ita pridem Sedi Marianopolitanae, seu montis Regii, archiepiscopales concessimus honores et iura, suasque illi, uti par erat, suffraganeas Sedes adsignavimus.<sup>1</sup>

Neque his finibus contenta fuit provida Apostolicae Sedis sollicitudo erga fideles illius regionis.—Nam, quum primum per tempora licuit, animum appulit ad rectam solidamque iuvenum institutionem. Nimirum Pius IX inclytæ recordationis Praedecessor Noster, rogantibus Quebecensis Provinciae Episcopis, libens dedit operam ut Catholica UNIVERSITAS studiorum conderetur Quebeci. Cui quidem Universitati ius omne legitimum largitus est per Litteras Apostolicas datas Idibus Maiis anno MDCCCLXXVI : eiusdem patronum esse iussit Cardinalem praefectum pro tempore Sacro Consilio Christiano nomini propagando, et Cancellarium Archiepiscopum Quebecensem. Per easdem Litteras huic Athenaeo (quod a nomine Antistitis meritissimi LAVALLENSE est appellatum) facultatem fecit creandi doctores, ceterosque gradus academicos in singulis disciplinis conferendi : rogati excitique sunt Episcopi Provinciae, ut sua illi aggregarent Seminaria et Collegia ; iisdemque Praesulibus demandata cura advigilandi cavendique ne quid a fide alienum vel pravam in doctrinas morumve disciplinam Universitatis irreperet.